

ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS
PER BEATVM RHENANVM.

SCRIBIT TERTVLLIANVS quasi Encomium Patientiae, deū ipsum afferens patientiae exemplum. Per contentionem mox impatientiam depingit, huius diabolum faciens autorem, ut illius deum. Concludit impatientiam omnis esse mali seminarium. Paulopost impatientiae caulas ac stimulos Euangelica doctrina retundit. Adhortatur ad patientiam deinde testimonijs & similitudinibus, ut ipse loquitur, dominicis. Afferit in exemplum Esaiam, Stephanū & Iob. In fine patientis effigiem graphice deliniat, adulterinam & diabolicam ethnicorum patientiam abominans. Liber est Parænetici generis.

Q. SEPTIMII FLO-
RENTIS TERTVLLIANI, PRESBYTERI,
DE PATIENTIA, LIBER.



CONFITEOR ad dominum deū satis temere me si non etiam impudenter de patientia componere ausum, cui præstādæ idoneus omnino non sim, ut homo nullius boni, quādo oporteat demonstrationē & cōmendationē alicuius rei adortos, ipsos prius in administratione eius rei deprehen-

di, & constantiam cōmonendi propriæ conuersationis autoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. Atque utinam erubescere istud remediū ferat, uti pudor nō exhibēdi quod alijs suggestum imus, exhibēdi fiat magisteriū, nisi quod bonorum quorundam sicuti & malorum, intolerabilis magnitudo est, ut ad capiēda & præstāda ea, sola gratia diuinæ inspirationis operetur. NAM quod maxime bonum, id maxime penes deum, nec alius id quā qui possidet dispensat, ut cuique dignatur. Itaque uelut solatiū erit disputare super eo quod frui non datur, uice languentiū, qui cum uacent à sanitate, de bonis eius tacere non norunt. Ita miserri-

a mus ego

